



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXVI. Argumentum. Declaratur Baptismus Flaminis; & de eo refertur, an sit necessarium Votum explicitum, vel sufficiat implicitum? Item utrùm cum eo sufficiat Attritio, vel requiratur ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Et ex hac divisione, seu distinctione Baptismi solemnis, & Baptismi privati, Clerus noster quatuor Conclusiones deduxit.

6 Prima Conclusio, quod Baptismus verè & propriè erit solemnissimus etiam si celebretur in domo privata, dummodo administrètur cum caeremoniis, & sacris Ritibus, de quibus in Rituali Romano; ut fieri solet in baptizandis filiis Regum, & Principum in cameris, & hypocaustis eorum Palatiorum, juxta dispositionem *Clem. unic. de Baptismo*, quam refert Gobat, *d. tract. 2. num. 491. Riccius decif. 427. Quintanadven. tract. 1. singul. 21. & Pax Jordan, tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 15.* Nomine autem Filiorum vèiunt etiam Nepotes, & Pronepotes. Gobat ubi supra num. 493. Glos. in *d. Clem. unica de Baptismo*. & Fagnanus in *cap. Ex transmissa. num. 15. & 16 De Filiis Presbyter. tom. 2. pag. 321.*

7 Secunda Conclusio. Cæremonias, & Ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare, in administratione Sacramentorum, vel in Sacrificio, est peccatum contra Religionis virtutem, ex genere suo mortale; nisi parvitas materiæ excuset; ea ratione, quia multum interest ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem servandam, Ritus Ecclesiasticos, præsertim in Sacrificio, & Sacramentorum administratione eosdem ubique servari. Layman, *d. lib. 5. tract. 2. cap. 8. num. 4. & 5.* Quod utinam attenderent, & seriò considerarent Ecclesiastici illi, qui Rubricas Missalis, & Decreta Sacræ Rituum Congregationis parvipendunt; & hoc (quæso) advertant Confessarii omnes; ne, ut suis Pœnitentibus morem gerant, illos dicant non peccare; & abusus approbent quasi consuetudines legitimas; & ita excusationes excusent in peccatis, cum suarum, atque Pœnitentium animarum detrimento.

8 Tertia Conclusio. Magna est differentia inter Baptismum solemnem, & privatum respectu ministri, & patrinii; siquidem Sacerdos, qui est in peccato mortali, & solemniter baptizat, peccat mortaliter; secus si baptizet privatè in casu necessitatis. Gobat, *d. tract. 2. n. 149. ex S. Thom. 3. part. q. 64. art. 6. ad. 3.* Subdiaconus Baptizans solemniter incurrit irregularitatem; secus si non solemniter, *cap. 1. de Cleric. non ord. ministr. Gobat d. tr. 2. num. 139. & 140.* In Baptismo solemnè necessarius est Patrinus, secus autem in privato. Diana, *part. 3. tract. 4. resol. 18.* Quæ in Coordinato habetur *tom. 1. tract. 1. resol. 97. Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 67. num. 14. Gobat, d. tract. 2. num. 523.* Et tandem Patrinus contrahit cognationem spirituales in Baptismo solemnè; sed non contrahit illam in Baptismo privato. Gobat, *d. tract. 2. num. 480. & num. 577. Sanchez, d. lib. 7. disp. 26. num. 14. Diana par. 10. tract. 16. ref. 30.* reperienda in Coordinato *tom. 1. tract. 1. resol. 95.* Quamvis alii DD. sentiant contrarium; & studiosi nostri de hoc infra sint responsuri.

9 Ultima Conclusio. Baptismus Fluminis conferri potest, vel per immersionem in aqua, vel per infusionem aquæ, vel per asperisionem cum aqua. S. Thom. 3. part. q. 66. art. 1. & 4. Gobat, *d. tract. 2. num. 44. Layman, d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4.* Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa de *Sacram. Baptismi disp. 12. art. 3. num. 26.* Sive per trinam, sive per unicam immersionem, infusionem, vel asperisionem, ita tamen, ut servetur usus, & consuetudo diversarum Dioceseon. Caterum in primitiva Ecclesia usus communior erat baptizandi per immersionem. Layman, *d. num. 4. Casallius*

de Peter. *Sacr. Christ. Ritib. d. part. 1. cap. 5. ubi in Vers. Priscis temporibus* notat, quod Baptizandi ingrediebantur nudi in aquam, in qua terà Sacerdote, seu Episcopo Baptizante mergebantur; & ad hunc effectum Baptisteria fabricabantur, in loco, & situ inferiori, & in ipsa descendebant Baptizandi per gradus, ut Romæ videtur Baptisterium Constantini penes Ecclesiam S. Joannis in Laterano. Porro ferè ubique immersio mutata, seu ablata fuit, & prævaluit aquæ infusio; ob tres rationes, quas considerat Hierolexicon Magrii in *Verb. Baptismus*; videlicet, quia pueri tempore hiemis denudati nimis patiebantur; quia sæpe sæpius immersi in aquam, eam urina, vel stercore commaculabant; ut de Constantino Cæpronimo Imperatore, qui fuit persecutor Ecclesiæ & Sacrarum Imaginum, notat Eminent. Cardin. Baronius anno 719. num. 20. Et quia denudatio adultorum causabat non modicum verecundiæ respectum, & indecentiam in mulieribus, etsi in loco à viris, separato, & clauso ipsæ denudatæ baptizarentur, ut opinatur Vicecomes de *Baptismo. lib. 4. cap. 13.* quem refert Casallius *cit. part. 1. cap. 5. pag. 43.* contra quem insurgit, & quem acriter carpit & impugnat P. Menochius in *Scoresis part. 2. cap. 42.* omninò legendus, ubi pie, ac doctè probat, non esse credendum, quod mulieres, puellæve adultæ baptizarentur denudatæ.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Declaratur Baptismus Fluminis; & de eo refertur, an sit necessarium Votum explicitum, vel sufficiat implicitum? Item Utrum cum eo sufficiat Attritio, vel requiratur Contritio ad salvandam Animam.

SUMMARIUM.

- 1 Baptismus Fluminis quinam sit?
- 2 Adultus non baptizatus an possit obtinere gratiam justificantem?
- 3 Baptismus Fluminis an requiratur sui ipsius Votum explicitum?
- 4 Baptismus Fluminis in quo differat à Baptismo Fluminis.
- 5 Attritio an sufficiat ad salutem in baptismo Fluminis?

SEquitur secunda species Baptismi, qui vocatur Fluminis; ideò quæritur, Qualis sit Baptismus Fluminis; & in quibus differat à Baptismo Fluminis? Omnes Theologi docent, Baptismum Fluminis esse actum perfectæ contritionis, seu dilectionis Dei, cum voto suscipiendi Baptismum aquæ. Ita ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. docent Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 6. Vers. Dico secundo.* Gobat, *d. tract. 2. num. 637. & ibi S. Thom. Vasquez, Suarez, & alii. Mastrius in 4. sent. disp. 2. num. 170. & Emin. Card. de Lauræa de Baptismo disp. 13. art. 5.* Hinc præfati Theologi, & Doctores deducunt, Baptismum in re non esse adultis simpliciter necessarium ad consequendam primam gratiam, & remissionem peccatorum; siquidem per actum contritionis, ac dilectionis Dei super omnia, cum proposito servandi divina præcepta, & voto recipiendi Sacramentum Baptismi, (cum ejus suscipiendi copia fuerit) homo adultus verè justificatur à peccatis, & consequitur jus filiorum Dei. Hoc autem probant

bant: 1. Ex Divino Oraculo illo, apud Ezech. 18. *Siegerit Penitentiam impius, vita vivet, & non morietur, & cum averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit.* 2. Ex exemplo A&u&u Apostolorum; ubi habetur, Spiritum Sanctum receptum fuisse à non Baptizatis, sed justificatis per contritionem & votum Baptismi; unde dixerunt Apostoli cap. 10. 47. *Numquid aqua quis prohibere poterit, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* 3. Ex iisdem *Act. Apost.* cap. 10. ubi legitur, Cornelium Centurionem ante realem Baptismi susceptionem fuisse justificatum 4. Ex illis Verbis Salvatoris *Marc. ult. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur:* quæ verba expendens S. Bernardus *epist. 77. ad Hugonem Victorinum* notat, non fuisse dictum à Salvatore, quod condemnabitur, qui non crediderit, & baptizatus non fuerit; sed solummodo qui non crediderit. 5. Ex cap. *Debitum. 4. De Baptismo*, ubi deciditur, Judæum, qui se ipsum baptizaverat, esse ab alio rebaptizandum; sed si interim ipse decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset. *Et in cap. Apostolicam 2. De Presbytero non baptizato:* ubi declaratur; Defunctum Presbyterum, qui credebatur se baptizatum, sed nunquam susceperat (inculpabiliter) Baptismum; ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum. 6. Ex testimonio SS. Patrum, & præcipue S. Augustini *lib. 8. de Civit. Dei* Et S. Ambrosii *in Orat. de Obitu Valentini Imperatoris. 7.* Ex Concil. Tridentin. *sess. 6. cap. 4. decidente translationem hominis à peccato post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse.* Igitur Baptismus Flaminis consistit in contritione cum voto suscipiendi Baptismi, & justificat hominem.

Porro, an hoc votum, seu desiderium debeat esse explicitum, id est præter propositum servandi omnia mandata Dei, etiam sit eliciendus actus, & determinanda voluntas suscipiendi Baptismum; vel sufficiat votum implicitum; id est propositum servandi omnia præcepta Divina, in quo comprehenditur etiam præceptum sumendi lavacrum regenerationis? altercantur inter se Scholastici, ac Moralistæ; & pro voto explicato stat Eminentiſſ. Card. de Lauræa *de Sacrament. Baptism. d. disp. 13. num. 46.* ubi rationes cumulat. Pro sufficientia voti impliciti stat Gobat *d. disp. 2. num. 637.* Layman. *d. lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 2. Vers. Dico II.* Et Maltorius, qui mordicus tuetur hanc secundam opinionem *in 4. sent. d. disp. 2. num. 174. & 176.* Sed ipsemet *in sua Theolog. Morali disp. 17. num. 5.* videtur assentiri non spernendæ distinctioni; quod scilicet, vel homo habet cognitionem fidei Christianæ, & in hoc casu cum contritione debet elicere explicitum votum suscipiendi Baptismi; vel fidem Christianam ignorat, & tunc sufficit votum implicitum Baptismi, consistens in actu dilectionis Dei, & generali proposito faciendi omnia, quæ necessaria sunt ad æternam salutem.

Quò verò ad differentias inter Baptismum Flaminis, & Baptismum Fluminis dixerunt, esse sequentes. 1. Baptismus Flaminis non est Sacramentum; ille Fluminis Sacramentum est, ut diximus supra *in Decis. 24. num. 1. in fine.* 2. Baptismus Flaminis non imprimi characterem. 3. Est reiterabilis; at Fluminis Baptismus imprimi characterem, & non est reiterabilis. 4. Baptismus

Flaminis justificat Cathecumenum ex opere operantis; Fluminis verò ex opere operato 5. Baptismus Flaminis dimittit omnem culpam, sed ordinariè loquendo, non relaxat omnem penam: prout semper facit Baptismus Fluminis; ea ratione, quia ut plurimum contritio in adulto Cathecumeno non attingit illius perfectionis gradum, quo contritus mereatur totius penæ temporalis condonationem; quæ fit per modum condignæ satisfactionis, ut bene explicat Bissus *in Hierurg. Sacra Verb. Baptismus num. 20. §. 1. & 2.* Caramuel *in Theol. Fundam. num. 3006.* & Maltorius *in d. 4. sent. disp. 2. num. 172.* Tandem sexta, & ultima differentia est, quod in Baptismo Flaminis est necessaria contritio; & at in illo Fluminis sufficit attritio; & ratio est, quia ad consequendam gratiam sine Sacramento requiritur contritio, ut omnes fatentur, & est decisum de Sacramento Pœnitentiæ *in Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.* at cum Sacramenti susceptione sufficit attritio; liquidem in hoc casu gratiæ consecutio adscribitur ipsi Sacramento realiter suscepto; at ubi habetur solum votum Sacramenti suscipiendi, gratiæ consecutio non adscribitur ipsi Sacramento, cum re ipsa non suscipiatur; sed perfectæ dispositioni ad gratiam, qualis non est sola attritio cum voto Sacramenti. Maltorius *in 4. sent. d. disp. 2. num. 177.* A quo tamen dissentit Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa *de Baptism. d. disp. 13. num. 47.* ubi probat, in Baptismo Flaminis sufficere attritionem ad recipiendam gratiam; quia talis Baptismus non requirit nisi ea, quæ in Baptismo Fluminis requiruntur: At in illo sufficit attritio. Vasquez *in 3. p. disp. 158. cap. 4.* Gobat *d. tract. 2. de Baptism. num. 308.* Siquidem nulla lex reperitur, quæ obliget hominem non habentem modum suscipiendi realiter lavacrum spiritualis regenerationis, ad eliciendum actum contritionis: & certum est apud omnes, quod suppletio Baptismi in re sufficienter habetur, si votum ejus habeatur: ergo eadem prorsus dispositiones in hoc, & in illo requiruntur; cumque ad Baptismum in re sufficiat contritio, vel attritio, idem censeri debet in voto Baptismi.

Hanc eximii, & versatissimi Theologi, ac Eminentiſſimi tum Scientia, tum Purpure Sacra Doctoris opinionem, tanquam magis piam, & indoctis Cathecumenis favorabilem non solum amplectendam, sed confirmandam crederem ratione illa, quam considerat Catechismus Rom. *de Sacrament. Pœnit. sess. 66. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 8.* videlicet Deum indulgentius agere cum his, qui nondum cognito suo nomine, neque fide intellecta peccaverunt, quam cum illis, qui recepto spiritualis regenerationis lavacro, Spiritum Sanctum, quem acceperunt, contristare, & Deum, cujus filiationem sunt consecuti, offendere non erubescunt. Propterea, sicut in relaxatione penarum in peccantibus post Baptismum, se minus liberalem Deus ostendit; ita in voto Sacramenti Pœnitentiæ contritionem perfectam requirit, ut culpam dimittat, & de novo suam gratiam impetiat. E contra, sicut in Baptismo re suscepto, cum sola attritione, Deus condonat omnem penam, & remittit omnem culpam, propter prædictam excusabilem ignorantiam fidei, & legis Dei; ita si Baptismus non possit ob justa impedimenta realiter suscipi, & homo cogatur in solo voto, & desiderio Baptismum habere, in hoc casu ineffabilis Dei benignitas, & misericordia ad concedendam

cedendam ipsi homini Cathecumeno justificationem, & gratiam, contenta sit attritione cum ipso voto suscipiendi Baptismi; juxta Doctrinam Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. art. 5. num. 47.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Exponitur Baptismus Sanguinis consistens in Martyrio. Quid, & Quotuplex sit Martyrium declaratur, & quot ejus gradus? Conditiones septem necessariae ad verum Martyrium. Ejus sex effectus cum exemplis, ac variis eruditionibus sacris.

SUMMARIUM.

- 1 Sanguinis Baptismus, quid sit?
- 2 Martyrium quid sit? & unde dicatur?
- 3 Martyres cur olim nominarentur Confessores?
- 4 Martyrium duplex. Cruentum, & Incruentum.
- 5 Amor in Deum Triplex: Complacentie, Benevolentie, & Appretiationis.
- 6 Martyrium sibi procurare an, & quando liceat?
- 7 Incruentum Martyrium quoniam sit?
- 8 Martyrii gradus quatuor.
- 9 Martyrii perfecti conditiones septem. Et quæ?
- 10 Fides dupliciter exercetur, nempe in credendis, & in agendis.
- 11 Martyres qui fuerint ob fidem in agendis?
- 12 Interficere seipsum nulli licet.
- 13 Martyrizandus si sit in peccato, vel confiteri si potest, vel contritionis actus elicere debet sed an sufficiat Attritio?
- 14 Martyres recalcitrare non debent contra tortores
- 15 Perseverantia necessaria est Martyri in tormentis
- 16 Gladius cur semper occideret Martyres?

Tertia species Baptismi illa est, quam Theologi vocant Sanguinis, id est Martyrii; ideo hic agendum venit de Martyrio, qui est Baptismus Sanguinis; & de eo sex sunt videnda.

- 1 Qualis sit Baptismus Sanguinis?
- 2 Quid sit Martyrium?
- 3 Quotuplex?
- 4 Quod gradus Martyrii?
- 5 Quod conditiones ad verum Martyrium?
- 6 Qui sint effectus Martyrii?

Quo ad Primum: Baptismus Sanguinis est ablutio animæ facta in proprio sanguine, effuso ob confessionem fidei, cum perpeffione mortis, à persecutore illatæ, in odium ipsius fidei; ubi non est modus recipiendi Baptismum aquæ, & de hoc Baptismo locutus est Salvator in illis verbis *Marc. 10. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & Baptismo, quo ego baptizor, Baptizari? Et Luc. 12. Baptismo habeo Baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Hoc autem à Christo Domino perficiendum, & Calix bibendus, erat passio, seu Martyrium cum sanguinis effusione, & ideo sanguinis effuso, & Martyrium susceptum à non Baptizato ob confessionem fidei, quando non habet possibilitatem suscipiendi Baptismum Fluminis, seu aquæ, dicitur Baptismus Sanguinis, Bonac. de Baptis. disp. 2. q. 1. Gobat. d. tract. 2. num. 599. Mastrius in Theol. Moral. d. disp. 17. q. 6. & in 4. Sent. d. disp. 2. num. 280. & Eminentiis. Card. de Lauræa de Sacram. Baptismi disp. 12. num. 69.

Quo ad Secundum: Studiosi nostri notarunt: Martyrium esse Confessionem Fidei, cum mortis perpeffione à persecutore illatæ in odium fidei. Nam Adar. Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

tyrium Græca dictio est, μαρτύριον, & τὸ, significans Testimonium: & μαρτυρῶ, & τὸ, Testis; quod etiam significatum habetur apud Hebræos, apud quos *עֵד* Testis venit à verbo *עָדָה* testatus est, testificatus est, & cognitionem habet cum voce *וָדַע* id est, novit, scivit, & cum *וָדַעְתִּי* simul novit, quia quod scimus testamur; & conditio est attestatio mentis. Languius in Florileg. Verb. Martyrium Emin. Card. de Lauræa tr. 3. sent. part. 2. tom. 3. De Fide, & propagat. ejus disput. 20. num. 1. Et ideo in Apoc. 2. 13. dicitur: *Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos;* ubi Gloss. interlin. notat: *Martyr scilicet fuit.* Et act. 1. 8. scribitur: *Eritis mihi testes in Jerusalem.* Et iterum Apoc. 6. 9. Vidi sub. *Altare Animas intersectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habent:* quandoquidem Martyres tumulabantur sub altaribus, cum epigraphæ *Martyrium* apud Græcos, & *Confessio* apud Latinos; & ideo Romæ Altaria, in quibus jacent sacræ Reliquiæ corporum SS. Petri, & Pauli, vocantur *Confessio S. Petri, & Confessio S. Pauli:* prout in Ecclesia SS. Apostolorum legitur *Confessio SS. Philippi, & Jacobi:* & in primitiva Ecclesia per multos annos Martyres nominabantur *Confessores*, juxta illud *Luc. 12. 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo;* ut advertit Emin. Card. Baron. in *Martyrol. Rom. 6. Julii Verb. Cum ad Confessionem:* qui subdit die 2. Januarii. quod qui captus pro fide occumberebat, dicebatur *Confessor.* Qui non interpellatus se offerebat Martyrio, appellabatur *Professor.* Qui verò propter fidem exulabat, & sua bona amittebat vocabatur *Extorris:* omnes tamen in numero Martyrum computabantur. Caterum progressu temporis cœperunt appellari *Martyres* illi, qui pro fide patiebantur; Confessores verò, qui in heroicis virtutibus sanctæ exercitati, naturali morte ex hac vita decedebant. Sic ex Origine, Petro Belesen. ex S. Bernardo in *serm. de S. Benedicto in fine.* & ex Eminentiis, Cardin. Baron. Anno 286. eruditè, ac doctè de more probat Emin. Card. de Lauræa de Martyrio d. disp. 20. num. 16.

Quo ad tertium: Duplex est Martyrium, Cruentum, & incruentum. Illud est Cruentum, quod consummatur cum sanguinis effusione, & vitæ dispendio, vi persecutionis motæ in odium fidei; & quamvis Gnostici, Valentinus, & Montanus, deinde hæretici Adamitæ, ac alii nebulones ejusdem farinae detestati sint Martyrium, & docuerint, Martyres esse reos luicidii, ut ex Cardin. Baron. Ann. 145. & ex Salelletom. 2. reg. 226. & 302. deducit Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 20. num. 200. & seqq. nihilominus dicendum est; Martyrium esse actum quadruplicis virtutis, scilicet Fortitudinis, ut elicientis principaliter; Patientiæ, ut elicientis consequenter; Fidei, ut finis & Charitatis, ut imperantis. S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1. & 2. Charitas enim; seu amor in Deum est triplex, Complacentie, qua Christianus gaudet ob divinam superexcellentiam, Benevolentie, qua exoptat, (liceat mihi loqui cum libello nostro Doctrinæ Christianæ) *che Dio sia conosciuto da tutto il mondo, e così il Santo Nome suo sia da tutti honorato, & glorificato, come si conviene.* Et Appretiationis, qua homo fidelis appretiat, & æstimat Deum supra omnia, ac etiam supra vitam suam, quam promptè tradit pro ejus fide, & gloria; & hæc est summa dilectio, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis Joan. 15.* Ita Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20.